DE EPISTAXI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... MENSE MARTII ANNO...

Pietro Bosisio



DE

EPISTAXI

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DOMINI DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE CONSEQUENDA IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. CAMILLO PLATNER

MEDIC. LEGAL. ET POLIT. MED. PROF. ORD.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

MENSE MARTII ANNO 1847

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

BOSISIO PETRUS

MEDIOLANENSIS.



TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

MEO DILECTISSIMO

PATRI

HOC PRIMUM TENUE OPUS

AMORIS ET GRATITUDINIS

CAUSA

D. D. D.



DE EPISTAXI.

Epistaxeos nomine (a graecis vocibus *επι* et *σταζω lente*, *guttatim fluo*) apud nosologos salutator *sanguinis e membranae muciparae narium caveas obvestientis vasis prosilientis evacuatio*.

Adeo frequens cruentum hujusmodi profluvium, a praeclarissimo Alibert *Haemorrhiniae* nomine insignitum, in *Lexico universali Aimatismos* nuncupatum, observare contingit, ut vetustiores medicinae scriptores de ipso dum loquebantur una *haemorrhagiae* voce uterentur. *Haemorrhagia* tamen juxta illos occurrit quotiescumque sanguis magna vi et copia e naribus effluit, dum e converso si lente et pauca quantitate exit, summo medicinae Parente praeeunte *ρυσις* habetur, et *σταλαγμος* si guttatim promanat.

Quomodocumque autem sanguinis jactura obtineat, in praxi frequentissima videre est eam absque subiecti, in quo manifestatur, ullo detrimento locum habere, et *tolerabilis* sive *innoxia*, juxta Nenterum, est. Quin imo, diversis admodum sub circumstantiis magno cum aegrorum emolumento fieri potest, et tunc merito *critica* sive *salutaris* vocatur. Relate ad quam hic locorum silentio praetereundum neutiquam est maximi medicum interesse eam opportuno tempore non modo dignoscere, verum etiam praedicere, quemadmodum fecit Galenus, cui hujusmodi factum magnum nomen adeptus est. Celeberrimus reapse hic medicus ad juvenem accersitus fuerat, qui quarto acuti morbi die violento adeo delirio corripiebatur, ut lectum continuo deserere niteretur, at rubrum veluti serpentem iodesinenter prae oculis haberet. Qui propriam aegroto opem ferebant medici, de venaesectionis necessitate una voce clamabant; obstitit e contra Galenus, qui non modo proximam epistaxim praefatus est, verum, quodam rubore e dextero nasi latere ad genam usque extenso, perspecto, per dexteram narem consecuturam fore praenunciavit. Quod paulo post evenit. Sed narium haemorrhagia locum quoque habere potest cum aegri

damno, quemadmodum in pluribus morbosis adfectionibus contingit, et tunc *acritica*, sive *insalubris*; juxta Sauvagesium, vel *morbosa* audit. Sanguinis, qui effunditur, quantitate perpensa, *magna* vel *excedens* et *vehemens*, aut *parca*, Nenteri ad mentem, esse queit. *Habitualem* epistaxim in quadam puella observavit Pinel, admittuntque alii, qui plus minus frequenter recurrere tradunt, modo statutis periodis, *periodica*, modo ad intervalla admodum irregularia *exlex*, *anomala*. Adnotandum tamen est periodicae haemorrhagiae casus in dubium revocare clarissimum Rochoux, qui pariter contendit utrum *epidemicae* epistaxeos exempla reapse observata fuerint, nondum statutum esse. Praestantissimus Sauvagesius quae in morbis chronicis occurrit, ab illa quae acutos comitatur, discriminandam esse praecipit; haec autem divisio inutilis prorsus evadit quum epistaxis per se *acutam* semper adfectionem sistat. Majorem e converso respectum meretur alia epistaxeos divisio ab ipso Sauvagesio, Pinel, aliisque posita, juxta quam in *activam* et *passivam* scinditur, quarum prima in morbis acutis et subjectis plethoricis solemnis, *plethorica* etiam dicitur, altera subjectis cacochecticis in morbis chronicis, et praesertim in scorbuto

est comunis. Denique alia quoque haemorrhegiae nasalis species hic memoranda venit, illa nimirum quae haereditatis privilegio a patribus ad nepotes transfunditur, *haereditaria*, cujus exempla apud medicinae scriptores minime desiderantur.

EPISTAXEOS HYPOTHYPOSIS.

Sanguinis per nares eruptio, nisi violentiae textus admotae effectum constituat, quamvis in subjectis benevalentibus contingat, pluribus utplurimum symptomatibus praeceditur, quae omnia majorem actionem sanguinisque adfluxum caput versus denotant. Hinc sanguinea colli vasa quammaxime distenduntur, eo turgent, vehementius frequentiusque micant arteriae carotides, nec non temporales, calor capitis eo magis intenditur, et ponderis in ipso sensus praesto est. Dolor praeterea hanc regionem plus minus exercet, saepius gravativus, haud raro pulsans, interdum lancinans, diversasque occupat partes, sed praeceteris frontem, tempora, nasique radicem. Rubet praeterea tumetque facies, gena praecipue una tantum, illaque lateri cujus per narem sanguinis effusio consecutura erit; admonere enim oportet per-

raro ab utrisque naribus haemorrhagiam obtinere. Hisce adde quod somnolenti admodum fiunt sanguinem per hanc partem missuri, qui aliquam stuporis et torporis speciem experiuntur. Bono autem tranquilloque somno frui prohibentur a tetris, quibus turbantur imaginibus, a terrificis insomniis, quae horrenda ipsis afferunt spectra, vulnerationes, incendia, sanguinis effusiones, et generatim, Galeno et Nentern docentibus, objecta sanguineo aut rubro colore tincta; juvenisque, quem supra memoravimus, serpentem rubrum cernere antumabat. Susurrus porro aurium et tinnitus insurgunt, et quidem cophoseos gradus advertitur. Visus utplurimum obnubilatur, frequentique vertigine tentatur; oculi rubent, quasi leviori detineantur phlogosi, lacrymas fundunt in latere potissimum in quo sanguis erupturus erit. Plenitudinis et tensionis sensus in naribus oboritur, quae siccae et aridae cernuntur, calent, atque pruritum et titillationem quandam patiuntur; quae quidem cuncta phoenomena in ea praeprimis nare advertuntur, per quam haemorrhagia obtinebit. Frigent interim extrema, virium magnam dedolationem experiuntur patientes, atque diversis spasmodicis adfectibus tum hypochondria versus, tum ad extremitates pas-

sim tentantur. Nec desunt interdum abdominales dolores plus minus intensi, neque ad recendum nisus et ipse vomitus, cujus sub nonatibus sanguinis nonnunquam effusio succedit. Urinae parcae et tenues excernuntur, pulsus pleni percipiuntur, frequentes, et fortes, expansi tamen, et undosi, atque saepe saepius dicroti et quidem caprizantes, in altero praesertim brachio, lateri ex quo haemorrhagia provenit, respondente.

Ast postquam haec omnia mox memorata phoenomena per plus minus longum temporis intervallum perduraverint, si sanguis sat larga quantitate, prouti casus urget, emanat, sensim sensimque evanescunt, et nisi epistaxis in morbo contigerit, in quo quaevis sanguinis jactura aegrorum detrimento fit, illico sublevatur patiens, pristinamque valetudinem jam adeptus esse videtur. Sin vero emissi sanguinis quantitas vel modum excedat, vel in morbis locum habeat in quibus vires languent, ideoque damnosum sit quodcumque eas magis infringere valet, vel e converso si minori, quam par sit, copia exeat ipse sanguis, quod obtinebitur emolumentum longe minus erit, quin imo non parvae noxae consequentur. Re quidem vera licet perraro tanta per nares affun-

datur sanguinis vis ut periculum aegrotis portendatur, nihilotamensecius exempla neutiquam desiderantur profusioris aut diuturnioris haemorrhagiae, quae vires prosternere valet, ac tristia ceterorum sanguinis profluviorum consectanea afferre; quemadmodum in homine evenit, de quo in *Commentariis Lipsiensibus* mentio est, qui, in decem dierum spatio, quinque et septuaginta, maximo cum detrimento, sanguinis libras effuderat! Quod si, quamvis pauca quantitate, amittatur sanguis in morbosis pathematibus maximo cum astheniae gradu, vel cum humorum colliquatione comitatis, quaenam ingentes noxae prosilituras erunt, unusquilibet facile videbit. Neque minus detrimenti attendendum est si, natura ipsa, uti inquit Neuterus, salutari conamine suppetias per nares ministrante, sanguinis fluxus parcior, quam res postulant, obtineatur. Inter cujus recentae vel non sat largae cruoris per nares effusionis effectus, quaedam glandularum diversis in corporis plagis tumefactio a Bordeu observata, non est obliviscenda, quam idcirco ipsis auctoris verbis hic exponere malumus: » Io ho veduto, inquit praeclarissimus Bordeu » (*Analisi del sangue*) tra gli altri un gio» vine pubere, sempre disposto all' emorragia

» del naso, la quale non veniva che incom-
» pletamente. Ciascun mese, o circa, l'emor-
» ragia mostraodosi senza completarsi, so-
» pravveniva una tumefazione ora alle ghian-
» dole del collo, ora alla pelle, alle gambe,
» alle braccia, e queste tumefazioni, ch'erano
» delle vere concrezioni linfatiche, rimaneva-
» no, di maniera che si poteva calcolare dal
» loro numero quello delle emorragie. Questo
» giovine è morto idropico e perfettamente
» tuberculoso. »

ÆTHIOLOGIA.

Quemadmodum reliquarum haemorrhagiarum causae, et illae quae epistaxi producendae sunt pares in disponentes sive proegumenas, atque occasionales sive procatarcticas discriminandae veniunt.

Infantilis et juvenilis aetas, robusta corporis compages, temperamentum sanguineum, in calidioribus regionibus habitatio, in habitualem plethoram dispositio et similia opportunitatem ad epistaxim largiuntur. Subjecta porro succi plena, laute viventia, opificium, in quo caput inclinare necesse sit, agentia, intensioribus meditationibus dedita, in ipsam proniora adver-

tantur. Qui haereditaria dispositione gaudent facillime in hoc profluvium incidunt, sicuti illi qui de more digitos in nares introducere consuescunt. Viscerum praesertim abdominalium obstructiones, adfectiones syphiliticae, scorbutus, et praeceteris naturalium aut habitualium fluxuum retentio, et neglecta artificialis sanguinis emissio in assuetis in eodem censu enumerandae veniunt. Rheumaticis et arthriticis adfectionibus, nephritide et ischialgia detentis epistaxis communis adeo esse solet, ut magnus Hippocrates hoc praeceptum reliquerit, in senibus, nimirum, rheumate aut arthritide laborantibus an juvenili aetate epistaxi fuerint subjecti semper inquirendum esse. Neque minorem sibi vindicant epartam ad dispositionem in illud noscendam vicissitudines atmosphericae, annique tempestates, quas inter ver et autumnus omnium primo criminandi veniunt; quod jam docuerat celeberrimus Fridericus Hoffmannus, tradens: » Per observationem enim » in comperto est plures vere potissimum et » autumno et circa aequinoctia in provectiore » etiam aetate in narium haemorrhagias incidere « (Medic. system. rat. t. IV p. II p. 6).

Procatarcticas autem epistaxeos causas memorantes, ictuum fronti et naso illatorum,

nec non membranae pituitariae punctionem et vulnere mentionem prae primis habebimus. Casus deinde, et contusiones ex ipsis procedentes, cerebri commotiones, cranii fracturae aliaque id genus sanguinis per nares evacuationem comitem habere possunt. Nisus porro ad recendum, vomitus, tussis, sternutatio, clamatio, vociferatio, eundem aliquando effectum gignere queunt. Sub coelo fervido obambulationes, commoratio in conclavibus calidis, balneorum calidorum usus, cur sanguis per nares exeat, Nietzki monente, in causa quandoque sunt. Quibus, juxta ejusdem auctoris praeceptum, compressio super jugularia vasa per arctiora collaria, aut, J. P. Frank praecipiente, per strumas exercitata, addenda est. Neque minorem profecto symbolam conferunt vehementes animi commotiones, substantiarum acrium et irritantium (sternutatoria puta) per nares attractio, et ozaena, et ossium nasalium caries; et fractura, et insecta vermesque in narium cavea undulantes. Denique polyporum narium evulsio, commotio electrica, et grandioris membri mutilatio aut amputatio, Hoffmanno prae aliis docente, in eadem classe comprehenduntur.

PROGNOSIS.

Multiplices circumstantiae epistaxeos prognosim multimode variare queunt.

Jam superius innuimus narium haemorrhagiam aliquando supervenire magno cum aegrorum emolumento, cunctaque morbosa phoenomena cito, ipsa apparente, nonnunquam evanescere. Hoc in febribus, sic dictis, acutis in morbis ab universali plethora, sive a capitis congestione procedentibus, in morbis quibusdam exanthematicis, variolis, morbillis, scarlatina, locum praeprimis habere consuescit, in quibus critica reapse evadit. Hisce enim in casibus largius e naribus sanguinis profluvium boni generatim ominis est, quippe quod morbum ex integro solvit, aut saltem mitiorem reddit. Hujusmodi ab epistaxi effectum attendere saepenumero decet in scotomia, in vertiginibus, in convulsivis spasmodicisque affectibus, in epilepsia, in varii generis cephalaeis, quibus lenimen afferre solet, licet cum asthenica organismi conditione morbus incedat. Quibus positis, rea *sanguinis e naribus profluvium non omne morbosum esse* recte admonet celeberrimus Vogelius (*De cognosc. et*

cur. praecip. corp. hum. affect. t. 1. p. 233). Ast proh dolor! narium haemorrhagia non semper bona portendit, et sive excedente effusi sanguinis copia, sive ob circumstantiarum, sub quibus accidit, diversitatem, sive, denique ob facilitatem qua recidivat, non paucas interdum noxas gignere valet. Ubi enim magna vi et copia erumpit sanguis, atque abdominales dolores superveniunt, viresque languere incipiunt, et extrema frigent, aliaque id genus in conspectum se produnt male quidem epistaxis praefatur. Nec desunt exempla mortis ab ea consecutae, cujusmodi alterum refert Hoffmannus de muliere, quae pluries hanc haemorrhagiam passa, fato denique hac de causa concessit. Quod observationibus etiam comprobatur praelaudati Vogelii, qui postquam tradiderit omnia auxilia therapeutica incassum aliquando in hunc morbum adhiberi » Ne» que tamen, inquit, per haec cuncta mors » semper evitari potest, quam animi deliquia » et convulsiones supervenientes praenuntiant ». (*Op. cit.* p. 226). Ipse porro Vogelius frequentem hujusce profluvii repetitionem timendam esse hisce verbis praecipit. » Quo frequentius tamen ea repetit, inprimis in vi» rili aetate, eo periculosior censenda est ».

(p. 224) Et Hoffmannus testatur « nullam » aliam haemorrhagiam tam facile repetere » quam quae per nares contingit . . . ; ita ut » elapso diei aut tantum aliquot horarum spa- » tio saepe recrudescat ». (Op. cit. p. 7). Qua de re ad hanc semper circumstantiam in epistaxeos prognosi proferenda semper attendendum erit. Quae per utrasque nares evenit sanguinis jacturam magis timendam esse quam quae per unam tantum contingit, perillustris Cullenius auctor est. In hypochondriacis et hystericis pathematibus, non minus quam in hydrope et cachexiis mali ominis est haemorrhinia, quae, in pueris praesertim, infausta praefatur si ex opposito morbi latere obtineat, si videlicet, hepate, exempli gratia, adfecto, per laevam narem locum habeat, si per dexteram, lienа laborante, et sic porro. Qui infantili et puerili aetate in epistaxim de more offendunt, juventutem et virilitatem assecuti haemoptoe et phthisi pulmonali facile laborant. « Narium haemorrhagia, (sunt verba praestantissimi Burserii, J. P. Frank sententiam confirmantia) » quibus insuetis supervenieos » saepe apoplexiam praedicit (*Inst. Med. pract.* t. III p. 283). In scorbuto analogisque adfectionibus sanguinis e naribus evacuatio au-

ceps semper constituit symptoma, periculique plena evadit. *In debilibus vitam*, monente praeclarissimo Platero, *cum sanguine* effundit, aut, si diutius durat, *tabem*, *cataracta*, *glaucoma*, et *amaurosim* producit (*Op. Med* p. 269). In becticis denique proximam mortem significat.

THERAPIA.

Si modica tantum quantitate sanguis e naribus egreditur, atque in subjecto plethorico cum morbi levamine contingat, non modo medicaminibus sistendus non erit, sed potius sollicitandus. Altera enim ex parte ex non nimis larga cruoris effusione maximum utpluri mum aegrotantibus emolumentum emergit, ex altera, si sanguinis profluvium inconsulto coerceatur, et benefici naturae conatus turbentur, et morbosarum adfectionum solutio retardatur, et ingentes haud raro noxae patrantur. Multa a celeberrimo Vogelio mala ab hac causa, e narium nimirum haemorrhagiae suppressione, enumerantur, cephalalgiae, nimirum, anginae, odontalgiae dirissimae, otalgiae, oculorumque dolores. Faciei eresypelas, respirandi difficultas, et cordis palpitatio ab eadem interdum causa procedunt. Neque utpote illius effectus, exempla

apud auctores desiderantur lacrymationis sanguineae, phrenitidis, et profusioris phtialismi. Juvenem memorat perillustris Stohl habituali narium haemorrhagiae subjectum, qui, quotiescumque eam cohibere conabatur, in faciei erasypelatem offendebat, nec non parotidum, amygdalarumque tumores, anginas, aliorumque viscerum inflammationes patiebatur. Tormina praeterea ventris, dolores dorsum et pectus exercentes, rigores in artubus, ejusdem epistaxeos suppressionis consectanea esse consuescunt, quemadmodum etiam, praelaudato Vogelio praecipiente, alvi constipatio, haemorrhoides mucosae, maculae scorbuticae, motusque convulsivi. Perillustris J. P. Frank epilepticum semel insultum ex retenta epistaxi observasse testator, semelque gravem dysphagiam per novem dierum spatium duraturam, quam hyrudinum ad nares adplicatione sanasse tradit. Quibus omnibus praeclarissimus Pinel vertigines, aurium tinnitus, varias sensuum laesiones, dolores nephriticos, et rheumaticos nucam potissimum torquentes, adfectiones articulares, oppressiones, suffocationes, emophthisim, phthisimque addere minime cunctatur.

Haec itaque cum tali ratione se habeant ab inconsulta sanguinei per nares fluxus suppres-

20

sione cavendum esse repetere non taedet. Quodsi nihilotamensecius, sive naturae molimine deficiente, sive incauta therapeuticorum auxiliorum administratione, id contingat, sedulo operam navare necesse est ut ipsa iterum revocetur. Quam ad assequendum scopum optima tradit praecepta jam pluries laudatus Vogelius, cujus ideirco vestigia propius sequi nobismetipsis proposuimus. Hinc si epistaxeos renovandae necessitas oriatur, corporis exercitationes validiores omnium primo commendandae veniunt, et deinde potus calafacientes et spirituosi suppeditandi. Porro errhina, ut vocant, millefolium aut marum syriacum recens conformata in nares intrusum maxima cum utilitate usuveniunt. Aqua ipsa tepidula in nares frequenter attracta non parum generatim opitulabitur. Quod si haec omnia non sufficient artificialem vasorum pituitariaos tunicam obvestientium per pennam serratim incisam at fortius intrusam, lacerationem peragere oportebit, vel melius, sicuti Aegyptiis mos est, membrana mucosa, lanceolae ope, scarificanda erit. (Praelect. acad. t. 2. p. 228).

Ast si cruoris per nares extravasatio limites nimia quantitate excedat, vel in morbosis obveniat adfectionibus, in quibus vel parcior

sanguinis jactura detrimento esse queat, tunc omni studio satagendum erit ut damnosum profluvium apta ratione sistatur, atque noxae exinde prosilliturae praecaveantur. Quapropter hisce in casibus animi corporisque quies ante omnia aegrotantibus praecipienda est, erecta corporis positio commendanda, locutio vetanda, et caput elevatum tenendum. Potus deinde ex aqua frigidissima confleti, substantiis antispasmodicis et temperantibus conditi, pulveres sic dicti temperantes suum obtinent locum. Pulvis absorbens Wedelii, nec non elixir acidum *Dipellii*, cum tertia laudani liquidi Sydenhamii parte a Vogelio ad eamdem scopum commendantur. Attamen si haec non sufficiant, et res in pejus ruere videantur, ac de subjecto robusto et plethorico agatur, et venaesectio celebranda erit, quae pro rerum necessitate, repeti poterit, quamque, si haemorrhoides retentae morbi in causa sint, ex vena saphaena instituere opportunum est. Emollientia porro et relaxantia clysmata saepius injicienda sunt, sique spastica advertatur cutis affectio, extremaque frigescant non absque emolumenti spe in calidam aquam pedes manusque immittuntur. Quod si nihilosecius haemorrhagia non cohibeatur, spiritus vini in

nares intrudendus est, vel radicis symphiti pulvis insufflanda, vel, docente Vogelio, alumen cum lacca pictorum, aut aquae plantaginis unciae binae et aluminis saccharique saturni drachma injicienda, vel torunda in ovorum albumine intincta, et vitrioli Gossaricosis pulvere iospersa immittenda. Quibus omnibus, juxta Pinel monitum, et solutionem vitrioli albi, et serum lactis aluminatum, ex lactis ebullientis libris duabus et aluminis crudi drachma confectum addere oportet, sicut etiam, Burserio tradente, linamenta tinctura catechu imbuta.

Juvant praeterea quae huc usque memoravimus ad copiosiorem epistaxim cohibendam frigidae ad frontem, ad radicem nasi, ad nucam aspersiones, nec non balneola pariter frigida hypochondriis et scroto praeprimis, trunco, internaeque coxarum plagae imposita. Juvant extremorum ligaturae, et terror incussus, et naris a qua sanguis effluit, compressio. Juvant epithemata varia, quae inter sequens a Vogelio celebratur, compositum, nempe, ex aquae verbenae unciis duabus, aceti vini destillati drachma, et nitri drachmis duabus; aliudque probatissimum esse docet praeclarissimus Hoffmannus, quod ex acido rosaceo et rutaceo, nitro,

camphora, et oleo ligni Rhodii conflatur. Juvant scarificationes ac cucurbitulae profundius incisae ad nucam, ad scapulas, ad dorsum, ad auras admotae, vel etiam hypochondriis, juxta Wiethenium, positae; relate ad quas Galeni praeceptum oblivioscendum non esse videtur, quod, nempe, hypochondrio dextero sint adplicandae si e dextera narc sanguis egreditur et versa vice.

Haec omnia autem, effectus, qui consequitur, certitudine, quotiescumque immodica fieri videtur sanguinis jactura, longe antecellit artificialis narium obturatio, cannulae, praeprimis, celeberrimi Bellocq ope obtenta; qua auxiliante, plures ab orci faucibus, ad quas ingens haemorrhagia propellerat, raptos fuisse quotidiana experientia demonstratum est. Quamobrem ista cannula utendi rationem hic locorum verbis praeclarissimi Boyer tradendo opellae finem imponere opportunum duximus consilium. » Qualora al » momento in cui vien chiamato il chirurgo, » la debolezza fosse considerevole tanto da » temere qualunque piccolo ritardo, bisogne» rebbe ricorrere immantinente a un mezzo » più efficace, devenire cioè al tamponamento » delle aperture anteriori e posteriori della » fossa nasale da cui ha luogo l' emorragia.

» A questo effetto, si introduce nelle narice
» la sonda inventata da Bellocq, la quale è
» composta di una cannula d'argento, leggermente curva a una estremità, e racchiudente
» in se uno stile egualmente d'argento, che
» ad una estremità è guernito di una molla
» di pendolo alla di cui estremità esiste un
» bottone d'argento. Arrivata che sia la cannula nella faringe, si spinge lo stilo, e a
» misura che si fa internare, la molla si fa
» libera sotto il velo palatino, e penetra nella
» bocca, dove facil cosa è il prenderla con
» le pinzette a anello, oppure anche colle dita. Si attacca allora alla molla un filo incerato messo a doppio, e ritirando lo stilo
» e la cannula si conduce questo nella fossa
» nasale, facendola quindi sortire dalla narice... All' estremità del filo, che esce dalla
» bocca si attacca un tampone bastantemente
» grosso per chiudere esattamente l'apertura
» posteriore delle fosse nasali, e tirando dall'indietro all'avanti l'estremità nasale di
» questo filo, si conduce il tampone fino a
» quest' apertura. Nel tempo che un aiutante
» tiene questo filo tirandolo in avanti si riempie la narice con dei tamponi legati, indi si
» divaricano i due fili, e situasi nel loro in-

» tervallo un tampone di fila sul quale si
» fermano i fili, facendo due nodi semplici
» uno sopra l' altro. Otturando in questa
» guisa la narice anteriore e posteriore, non
» si impedisce già l'uscita del sangue; ma es-
» sendo trattenuto nella fossa nasale, vi si
» coagula, e quella compressione che esercita
» il grumo sanguigno sui vasi che gemono
» sangue, arresta l'emorragia. Se il sangue
» viene dalle due narici, bisogna tamponare e
» destra e a sinistra. In capo a quattro, o
» cinque giorni si tolgono i tamponi e si per-
» mette al sangue di uscire coll' injettare del-
» l' acqua tiepida nel naso. L' irritazione oc-
» casionata dalla sonda, dalle pinzette, dai
» diti internati in bocca e in gola, provoca lo
» starnuto e dei conati al vomito, e rende
» difficile e penosa quest' operazione; ma tanto
» meno bisogna ritenersi, in quanto che tal
» metodo di tamponare è l' unico mezzo atto
» ad arrestare l' emorragia. Mettendolo in uso
» noi abbiano potuto arrestare diverse volte
» l' epistassi, che senza dubbio avrebbe fatto
» perire i malati » (*Instit. Chir.* t. 3 p. 250).

Hic tamen postremo loco obliviscendum non est auxilium ad sistendam narium haemorrhagiam a Doctore Negrier propositum,

quod sistit in neris, e que senguis manat, compressione, et subita ejusdem lateris brachio elevatione (*Annali Univ. di Medic.* t. 104. p. 613); quo praesidio ipse Doctor Negrier decem in casibus optimo cum successu usum fuisse testatur.

FINIS

THESES DEFENDENDÆ.

1. Emesis in revocandis ad vitam asphiticis perniciosa.

2. Nimia sensibilitas, uti nimia indifferentia medico nocet.

3. Apoplexiam mares praediligere.

4. Haemophthisis tuberculi interdum causa: interdum effectus.

5. Inspiratio aetheris sulfurici innocua, et in chirurgia perutiles.

6. Angina pectoris ad nevroses adscribenda.